

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

dum à Scholarchis actum est. . Sed promittunt satis liberaliter, & spero, fore tandem aliquid, cum prīorum consulatu se abdicabit D. Miegus.

Tuus ex animo frater,

Johannes Pappus.

XXVII.

Salutem in Domino.

Scipi heri ad te, Ornatiss. M. Philippe, & tuum fratrem, per Ilbeckum, tametsi præcipitato calamo; nam ad scribendum mihi horæ dabantur notæ due: & tamen utriusque vestrum benevolentiss. scriptis literis fuit respondendum. Nunc ita casus se adversus fert, ut denuo ad te scribam, nūc haudquaquam lætum adferens. Nam, ut uno verbo Scholæ nostræ miseriam complectar, hoc mane inter quartam & quintam horas, amissimus Clariss. Virum, D. Brunonem; virum longiore vita, vel propter ætatem, vel propter eruditionem, vel propter Scholam etiam nostram, dignissimum. Quid autem jam nostro Gymnasio miserius cogitari potest? quid infelicius? cui unius anni spacio quinque sunt erepti, non vulgares, neque quorum jacturam facile resarcias, sed præclari, industrii & excellentes Professores. Nam cujus quæso ex his omnibus locus ita restitutus est, ut non ipse potius mortuus defideretur? Faber in populari dicendi genere excellit etiam Speccerum. Sed quantum hoc est ad ceteras viri virtutes? quas ut in Pastore Ecclesiæ universas haud requirimus: ita optare nobis, quam acquirere aliquem facilius est, qui illis prædictis Scholæ tam utiliter serviat. Ego, ut ætate, ita eruditione quoque, à M. Hybero vivente superabar. Quanta autem est M. Hybneri & Malleoli similitudo? Reinhardo mortuo, lectionem suam propediem repetet Hertelius, illo sanè eruditione haud inferior. Sed in hoc ut voluntatem amplectimur, ita vires, quæ, quod vult ipse, efficiant, veremur, ne in mediis sœpe conatibus ipsum deficiant. Quem verò Aristoteli nostro subjungeremus, non parem, sed paulò inferiorem? modò ne ab ejus perfectione nimium absit. Quo morbi genere extinctus sit, nondum exacte novi. Neque enim decubentem invisi unquam, qui rectè valens mea conversatione videbatur non admidum affici: veritus ego, ne hoc ei officium meum molestum esse posset. Sed ex Colicis tormentis originem trahens ita eum debilitavit, ut membrorum nullo posset uti. Tum ira, & immoderata dicta, ut ajebant, non efflabant.

Non

A. 1571.

P A R S Q U A R T A .

339

Non possum plura. Saluta M. Erasmus. Argentoratō, 4. Januarii. Salutat vos Buse: eutus.

Tunc

Joh. Pappus.

X X I X .

S. Omnino scriprurus eram per hunc : Sed ecce Concio à Floro mihi imponitur, habenda intra horam. Sed breviter. Tametsi jam sum occupatior propter duas in Theologorum scholis vices : nam M. Florus tertias tantum agit : tamen statui C. Doctori & vobis obsequi. Has literas ante octiduum Haganöa accepi, sed non fuit citius mittendi occasio.

Die Solis proximo concionatus sed vesperi, i. Cor. 15. Nach der Schrift. Ostendit Paulinum Evangelium, & Paulinum Christum, ita enim loquebar, esse in Scriptura, Zwinglianum supra Scripturam, in arcano consilio & prædestinatione DEI: Papisticum infra scripturam in traditionibus humanis & scrinio peccoris Pontificii. Ecce tibi, cœnanti mihi affertur scheda :

JOANNES PISCATOR JOANNI
PAPPO SANAM MENTEM

O P T A T .

S I Zwinglius prædicavit Evangelium, præter id, quod prædicavit Corinthiis Paulus; proba. Si ego id feci, quem tu negare non potes, quin concione tua perstrinxeris; proba id quoque. Quod si neutrum probare potes, cur maledicis? non solum vivis, sed etiam mortuis? cur fingis Evangelium Zwinglianum, tanquam Paulino oppositum? utpote positum extra Scripturas? Ergo aut quod dicens, proba: aut maledicere desine. Ego nihil respondi: servo enim me ad adventum Heri integrum: & citius silentio, quam ratione, istos confecero. 24, hujus soror Dn. Sturmii mortua est. 27. Laurentii Engleri conjux doloribus partus extincta. Ut festinationi ignoscas, non te rogo; scio enim te facere: neq; ut Piscatorium negotium clam habeas usque ad redditum Dn. Parentis, oro. Scio enim te & hoc facere. Saluta M. Erasmus, & reverenter D. Sulcerum. Diē Adolphi.

T. , T quem nosti,

Papp.
XXIX.

U u 2